



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 51. Cæsar obsidionem solvere compulsus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

stibus sese colligendi spatio: Cum vero Sæcul. XVI.
A. C. 1509.
propugnaculum crebris tormentorum i-
ctibus ferme eversum patentibus ruinis
aditum undique præberet, ea ex parte
Imperator cum toto exercitu irruptionem
tentari jussit, majori pugnantium forti-
tudine, quam feliciori pugnae auspicio,
quippe Hispani capto propugnaculo jam
quidem victricia erigebant vexilla, obsessi
tamen quamprimum hostem propugna-
culo insistere conspexerant, cuniculis,
quos provide pyrio pulvere antea imple-
verant, subjecto igne Hispanos ferali im-
petu in aerem excusserunt, quo pacto
quam plurimi perierunt, qui sub magno
Consalvo rei militaris scientiam hause-
rant, ac ceteros totius Italiae milites for-
titudine sua facile superabant.

§. LI.

*Cæsar obsidionem solvere com-
pulsus.*

Infaustus hic eventus tantopere Cæsa-
reos turbavit, ut animum desponden-
tes nonnisi honestum obsidionis solvendæ
prætextum quærerent, sub cujus specie
salvo Nationis honore sese recipere pos-
sent; quod & factum decimo sexto,
ex quo obsidio cæpta est, die: Igitur
Cæsar primo Vicentiam, inde Veronam
conten-

Sæcul. XVI
A.C. 1509

contendit, ubi sinistram belli sortem nunc in Papam, nunc in Galliarum, jam in Arragoniæ Reges conjiciebat, eo quod eum pro viribus non adjuvissent, ceterum Veronæ haud diutius moratus est, quam Calvimontio Marefcallo familiariter colloqui, ac Ferrariæ Duci investituram Estensis status, a quo nomen ducebat, concedere poterat.

Evenit tamen Patavinæ obsidionis tempore casus oppido singularis ac memoratu dignus. Habebat nominatissimus ille Bajardus in sua legione annorum nonnisi sexdecim juvenem nomine Buterium, qui postmodum a Francisco Galliarum Rege Trans-Montium Præfectura auctus fuit. Hic ætatem fortitudine superans cum quodam Albanensi, qui in exercitu hostili levioris equitatus centurio erat, ingenti corporis statura prædito singulare certamen inierat, eumque etiam captivum duxerat, cum igitur novus hic David Goliathum illum Imperatori sisteret, is rei novitate attonitus ad Albanensem conversus „ Miror, „ inquiebat, quod tu, Colossus cum sis, „ a puero qui quarto abhinc anno mentum vix lanugine tectum habebat „ te comprehendi passus sis. „ Albanensis, cui magis convitii acerbitas, quam animi ignavia ruborem exprefferat, respondit Cæsari, „ hostium numero cessi „ a qua-

„ a quatuor omnino equitibus cinctus „ Sæcul. XVI.
 Bajardus opportune tunc præfens Bute- A.C. 1509.
 rium allocutus ajebat, „ audis ea, quæ
 „ Albanensis profert: sunt ea relationi tuæ
 „ profus contraria, tuum itaque honorem
 „ vindica „, quapropter non cunctatus
 adolescens, ac sese elevans, audacter ad
 Albanensem „ Mentiris ait, atque ut te
 „ a me solo captum fuisse constet, denno
 „ nostros conscendamus equos, & ego
 „ vel occidam te, vel ut vitæ gratiam a
 „ me petas, rursus te compellam. „
 Verum Albanensis secundi certaminis
 discrimen subire amplius noluit.

§. LII.

Vicentia a Venetis recuperata.

Vix Cæsar Patavinam obsidionem sol- Guicci. l. 8.
 verat, cum Veneti jam vincendi spe
 erecti animos resumunt, ac Vicentini ce-
 terorum primi sumptis armis, copiisque
 ex Patavino præsidio eductis, Casparum
 Sanseverinatem, qui nomine Imperatoris
 cum tribus Germanorum millibus urbem
 defendebat, adoriuntur, illisque tam a-
 criter instant, ut non sine probro deditio-
 nem facere compellerentur. Pari quo-
 que fortuna Veneti Veronam recuperas-
 sent, nisi obstitissent Galli; unde Vene-
 torum copiæ versus Histriam ac Foro-
 Julium sese recipere decreverant, ubi plu-
Hist. Eccles. Tom. XXXII, E res